(37)

EPICEDIA
in
præmaturum, beatum tamen & placidum obitum,

ELISABETH Newmanns/

fœminæ, quâ Pietatem, quâ Probitatem, quâ Formam, laudatissimæ, præstantiss. venustissimæ.

Viri Integerrimi, honestissimi & prudentissimi,

SAMVELIS ROCHLITII jun:
Reipublicæ Stetinensis Civis primarij, & Negotiatoris celeberrimi, Conjugis dilectissimæ,

27. Martij Anno Christi 1626. ex vitæ hujus ergastulo piè & placidè avocatæ, & 31 ejusdem mensis solennibus exequiis terræ demandatæ.

Condolentiæ ergò scripta ab Amicis.

STETINI,
Literis NICOLAI BARTHOLDI.

I.

FElices nimium, qui CHRISTI funere freti,
Nil tumulum metuunt funera inire suum!
Funere nam CHristi perit omnis funeris horror,
Et mors in somnum tetrica versa cadit.
Ergo quid planctu turpamus pectora, somni
Si cui pro summô est parta labore quies?
Scilicet hic sopor est, vitæ qui præstat, & unô
Funere funereum corrigit omne malum.
Discruciat, fateor, discessus: at erigat ille
Conventus melior, quem nova vita dabit.

Testandi honoris & officij causâ f.

M. Martinus Leuschnerus, Ducal. Pædag. Stet. Rector.

II.

SÆva quid uxores tollis Libitina maritis?
Quid fidi solvis vincula cara tori?

Si tamen has inter nos strages edere certum est;
Ergo neca, nullâ qui probitate placent.
Parce bonis; ah parce probis, Mors improba; nec te
Qui vivi prosunt, his satiare velis.
Sed frustra obtestor: Mors omnes falce cruentâ
Tollit seu peccent sive DEO placeant:
Restat enim tempus, pietas quo munera sumit,
Quôq; malis mersos debita pœna manet.
Te cuius torus est viduatus, cuiq; jugales
Tædæ nunc frigent, erige corda malis:
Atq; quid hîc simus, quid sit tua Amata memento,
Quam sorte haud doleas commodiore frui.

Deproperab. condolens

M. Iohan. Micrælius SubR. Pæd.
Ill. Stet.

III.

NUPER *Rheberg*I castissima costa politi
Mandata busto flebili.
Illiadisq; brevi castissima costa Patroni
Mandanda busto flebili,

Jam

Jam tua, *Rochlitzi*, castissima costa dolenter
Servanda busto traditur.
Feminei flos *Prima* gregis; flos *Ultima*; habebat
Et *Media* mediô se modô:
Nec tamen ætati tali mors sæva pepercit,
Omnes sed abstulit rapax.
Femellas patiens subjectum mortis avaræ
Præsente mense Iudico.
Abstineas *Mensis*, sed tandem, quæso, favere
Morti nimis; finis memor.
Abstineas nimium, *Rochlitzi*, flere Maritam
Demortuam, Spei memor.

Condolentiæ ergò lubens ac lugens f. Aff.

M. Mart. Bambamius, P. L. & Sch. Sedin. Sen. ConR.

IV.

Ad piè defunctam Epigramma.

QVid Mors? est somnus: quid Homo? nil: bulla palustris,
Ventus, Flosq; fumus, Fabula, putris humus.
Eheu! quàm misera est nostræ Spes maxima vitæ,
Hæc est innumeris perdita massa modis.
Nil est perpetuum terris: res quæq; ruinam
Excipiunt, patulo quæ viguêre solo:
Nascimur in lachrymis, vitam finimus in illis,
prætereuntq; citò, ceu levis umbra, dies:

Eheu! quàm fallax nostræ spes maxima vitæ,
ac ubi non speras, te modò terra tegit.

Testis & exemplo est RochlitI cara marita,
Supremum dicens voce gemente Vale.
Hanc pudor & Probitas, blandiq́ modestia vultus,
& veræ ornârat relligionis amor:
Hæc jam morte perit subitâ juvenilibus annis,
abripit hanc dirâ mors inopina manu.
Ergò quisquis ades, sis speq́ fideq́ paratus
nec non æternos vivere disce dies.
Nemo etenim exemptus, Fato sunt subdita cuncta,
Mors simili nobis est adeunda pede.

Tu verò æternum salve ô Matrona, valeq́
quæq́ TRIAS tribuit gaudia læta cape:
Hîc recubet Corpus, recubent hic molliter ossa;
Ast Anima in cœlis gaudia vera habeat.

Dno. Viduo favitori suo condolentiæ ergò addebat

Christoph. Stecherus.

Defuncta.

EHeu quam subito, fateor, sum funere rapta,
Ex NEOMANNORUM sanguine nempe sata.

Pauxil-

Pauxillum vixi; ſed vixi caſta, pudica,
Trinunum didici nôſſe & amaſſe DEum,
ELISABETH nomen mihi erat peramabile: cunctis
Nomine grata fui, Re quoq; grata Piis.
Hinc fles, & lacrymis abſumeris, hincq; MARITE
Per vultum lacrymæ fluminis inſtar eunt.
Demiſſum aſpicio lugentis more capillum,
Et patrium lacrymis osq; ſinusq; madent.
Sed fuit in fatis: Decreta tulere Tonantis,
Et decreta DEI Fata movere, ſcio,
Terra fui, in terram redeo: è terraq; revertar,
Ac induta mea carne videbo DEVM.
Quare pone modum eheu Vir mœſtiſſime, tuque
Parce Pater lacrymis quæſo relicte tuis;
Parce precor lacrymis, Vir, pignora propter amanda,
Illorum curam relligioſè ut agas.
Et quodcunq; tibi tulerit Fatum DEVS, illud
Ad finem placidè ducet agetq; bonum.
Ortus quicquid habet, finem timet: ibitis omnes,
Ibitis; urnam umbris Æacus usq; quatit.
Fata ſequor; nec erunt mea vota rebellia fatis,
Unde fuit mortis non gravis hora meæ.
Ver erat: ætatis Chriſtum cum vere ſequebar,
Et comites ibant, forma, pudor, Pietas,
Sic ſimul æterno Chriſtum cum vere ſequuta
Sidereâ poſui candidum in arce pedem.
Ver ubi perpetuum cœleſtes educat herbas.
Lætus manſuras & fovet hortus opes.
Hæc tamen accipias ſolantia verba, MARITE,
Et rata triſtitiæ ſint medicina tuæ:

Quod.

Quod colui pia virtutem, tua gloria: Christo
Quod sum nixa, mea est hinc mihi parta salus.
Hic nunc cerno Deum, ferturq; corona capillis
Nobilior violis nobiliorq; rosis.

Honoris & condolentiæ ergo
p.

Iohannes Knochenhower
Colberga-Pom.

FINIS.

